Novo huic muneri Guadalupe cum fiducia et animi ardore sese paravit et die 5 mensis Martii anno 1950 cum duabus aliis Operis Dei mulieribus iter inivit Mexicopolim, ubi, mense Aprili eiusdem anni, ipsae domum paraverunt mulieribus Universitatis alumnis hospitio recipiendis, quae alumnae memoria recolunt humanitatem et deditionem quibus Serva Dei christianam formationem eisdem impertiri curabat. Cum ipsis enim in pauperrimis suburbiis catechesim pueris tradebat et aegrotis opitulabatur per erraticum quoddam valetudinarium, cui adiutricem operam conferebat Servae Dei amica, quae medici professionem exercebat.

Communi consilio cum Episcopo Tacambarensi promovendis puellis rusticis illius regionis in sociali consortione impense incubuit, curavitque ut ipsae discerent artem quamdam operosam et litterarum ignorantiam debellarent. Vehicula quaecumque adhibens prout ei in promptu erant, in loca dissita se conferebat ut familias inviseret illarum puellarum, mira fortitudine pericula ac difficultates obiens. Cum affectu et patientia magna, iis puellis impertiebatur formationem fundamentalem et humanam et christianam. Hae apostolicae actuositates cito in alias Mexicanae Rei Publicae civitates propagatae sunt. Anno 1952 Guadalupe adiutricem contulit operam ineundis apostolicis inceptis in vetere quodam fundo dicto Montefalco, qui magno cum sacrificio et obtenta multorum cooperatione conversus est in domum pro recessibus spiritualibus complectentem quoque scholam cum agris colendis necnon institutum formationis professionalis atque alphabeticae institutionis.

Anno 1956 Dei Serva vocata est ut Romam rediret ad adiutricem operam praestandam sancto Iosephmariae in moderamine apostolatus mulierum Operis Dei. Paucis vero post mensibus Guadalupe gravi cordis aegritudine laboravit, cuius causa, mense Iulio anno 1957, ipsa subire debuit periculosam chirurgicam sectionem. Ab anno 1958 habitavit Matriti, in Hispania, ubi denuo docuit in lycaeo ac deinde in Schola Mulieribus Peritis Industrialibus

efformandis. Anno 1965 Guadalupe adepta est doctoratum pervestigationis in Chemia et quidem plenis votis atque addito praemio pro thesi doctorali. Aegra valetudine non obstante, Dei Serva apostolicae actuositati cum puellis sollerter et ardenti animo operam dare perrexit et institutum studiorum de scientiis domesticis necnon alia incepta moderata est.

Ab anno 1970 Dei Servae cardiopatia in peius vertere coepit et die 1 mensis Iulii anno 1975 chirurgicam sectionem valde periculosam subire debuit; dum convalescebat subitanea supervenit crisis, et, die 16 eiusdem mensis et anni, Beatissimae Virgini Mariae de Monte Carmelo dicata, animam Deo piissime reddidit.

Eminent in Dei Serva gaudium quod contagionis instar aliis transmittebat, fortitudo ut ardua quaeque oppeteret, christianus optimismus in difficilibus adiunctis et sui donum ad alios. Fides eius theologalis elucebat praesertim in amore erga Sanctissimam Eucharistiam et in laeta acceptatione voluntatis Dei. Spem colebat annorum decursu temperatam et heroice caritatem exercuit erga Deum et erga proximum. Pietatis exercitia devote colebat et frequenter coram tabernaculo orabat. Divina gratia ducta, ad harmonicam vitae unitatem pervenit et Deo offerebat diversa officia suae vitae quotidianae. Magno affectu Beatissimam Virginem Mariam alloquebatur eamque invocabat praesertim sub titulo de Guadalupe.

Sollicitam se exhibebat erga aliorum necessitates et eadem urbanitate ac comitate erga omnes se gerebat, nempe erga mulieres Universitatis alumnas, puellas rusticas, alumnas scholarum in quibus docuit et amicas.

Parata semper fuit ad agendum in aliorum utilitatem et ad oboediendum. Quamquam multis ornabatur qualitatibus et humanis et professionalibus, numquam tamen se iactavit, immo parata erat ad serviendum aliis et humiliora munera suscipere quaerebat. Sobrie admodum vixit et laeto animo accepit privationes quas frequenter passa est cum apostolica incepta in nova aliqua civitate inchoabat. Tenaciter munera sibi commissa perficiebat et subsicivis temporibus utiliter utebatur, manens tamen semper affabilis et parata ad alios adiuvandos. Cum Servae Dei salus infirma evenit ipsa perseveranter munera sua implere perrexit.

Circa Servae Dei vitam, virtutes ac sanctitatis famam, apud Curiam Archidioecesis Matritensis Inquisitio dioecesana instructa est a die 18 mensis Novembris anno 2001 et clausa die 18 mensis Martii anno 2005; eius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 17

mensis Februarii anno 2006 approbata est. Exarata *Positione*, disceptatum est consuetas secundum normas an Serva Dei virtutes heroum in modum exercuisset. Die 7 mensis Iunii anno 2016, positivo cum exitu, Peculiaris Congressus Consultorum Theologorum locum habuit. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 2 mensis Maii anno 2017 congregati, me Card. Angelo Amato moderante, Servam Dei heroicum in gradum virtutes theologales, cardinales et adnexas exercuisse agnoverunt.

Facta de hisce omnibus Summo Pontifici Francisco accurata relatione ab infrascripto Cardinali Praefecto, Beatissimus Pater, accipiens rataque habens Congregationis de Causis Sanctorum vota, hodierna die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine, iisque adnexis in gradu heroico, Servae Dei Mariae Guadalupe Ortiz de Landázuri y Fernández de Heredia, Christifidelis Laicae Praelaturae Sanctae Crucis et Operis Dei, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 4 mensis Maii, a.D. 2017.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

VICENTINA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Ioannae Meneghini, Fundatricis Congregationis Sororum Ursulinarum a Sacro Corde Mariae (1868-1918)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Si de gratiis et divinis afflatibus, quos a Domino accepi, loquar... numerus fere infinitus erit... Ipse vocavit me, qualibus amorosis illecebris ipsum meam vocationem ostendisse profiteri nequeo. Perduxit me per semitas, de quibus nec animo mihi fingere potuissem, et omnia mihi concessit; voluit sane ut gratias eius manu tangerem».

Haec notae a Serva Dei Ioanna Meneghini suo spirituali patri scriptae efficaciter eius humilitatem describunt et eius interius iter compendiant. Modica originis, mitis ac humilis sua virtute Ioanna Domino omnino se consecravit, Christi vestigia sequens, qui Patris consilii fuit Servus, et Mariae, quae illud *"fiat"* dixit.

Serva Dei die 23 mensis Maii anno 1868 intempesta nocte in stabulo Bauzani Vicentini nata est ex pastoribus nativis Altae Planitiae Septem Communium, quae politicis quaestionibus inclusae sunt in finibus Tirolensium sub ditione Imperii Austriaci. Illis diebus eius parentes postquam cum grege in planitie Vicentina hiemaverant, reditus per viam erant.

Tres amplius post annos Ioanna propinquis Baggio, qui Bregantiae vitam degebant, commissa est ibique totam per vitam mansit. In illo parvo pago magna erat auctoritas spiritualis ac culturalis trium fratrum sacerdotum Scotton, qui clari erant suo studio contra doctrinas modernismi, qui illis annis magnarum mutationum et animorum contentionum diffundebatur. Serva Dei longe e parentalibus adfectibus, adhuc adulescens vehementi fidei in experientia perseveravit, quae singularem per relationem adfectivam cum Iesu exprimebatur, cui omnino cupiebat se consecrare.

Septimo decimo aetatis anno, iuvenis Meneghini viam consecrationis inter Sorores Magistras Sanctae Dorotheae aggressa est, quas tamen valetudinis causa cito relinquere debuit. Anno 1890 Bregantiae Societatem Sanctae Ursulae amplexa est, quae a Domino Andrea Scotton instituta erat, confestim superiorissa electa est. Sic eius vita consecrationis in mundo in-

cepit, sine domus suae et muneris derelictione, hanc autem rationem ipsa sensim intellexit suae vocationi plene haud satisfacere.

Post nonnullos annos in famulatu iuxta quasdam familias Bregantiae, anno 1898 fratres Scotton voluerunt ut operam suam uti moderatrix mulierum opificii ad sacras suppellectiles faciendas in eorum administratione et in officio ad expeditionem commentarii hebdomadalis, quod ab iis nomine *La Riscossa* editum erat, praestaret.

Illis in adiunctis iuvenes operarias cognovit, quibus animatrix et magistra facta est, et quasdam personas, quae ei auxilium praebuerunt ad eius vocationem efficiendam. Non defuerunt tamen etiam dolores et contumeliae.

Ioanna hac in opere per plus quam decem annos mansit, vi humilium et animi firmitudine mitium ex obiurgationibus alienam se facere et maxime propositum suum ad effectum perducere valuit. Anno 1905 auxilio quorundam sodalium Ursulinarum fundavit parvam scholam ad docendum in operibus pro puellis ac adulescentibus ut eaedem ex destitutione, in qua vivebant, eriperentur, difficultates tanta vi aggrediendo, quam ipsa quoque explicare nequebat. Duos post annos, die 6 mensis Ianuarii anno 1907, cum parvam ac pauperam habitationem conduxisset, in silentio ac humilitate una cum aliis duobus mulieribus suam religiosam familiam instituit scilicet Sorores Ursulinas a Sacro Corde Mariae, secundum genus Regulae Sanctae Angelae Merici: "In vita communitaria vivere absolutam sui abnegationem per indefessum zelum pro animarum salute", secundum Iesu exemplum et cum singulari deditione "pro salute et sanctificatione popularium feminarum coetus".

Serva Dei, ut congruenter propositum inceptum viveret, vim e Sanctissimo Sacramento, quod honorabat et diutius adorabat, e constanti oratione, sua relatione cum Christo alta, qui illi erat "dulcis ac adorabilis sponsus", exhauriebat.

Inchoatio istius nascentis religiosae familiae fuit causa benedictionis et tamen dolorum, enim propter amorem erga istam nascentem communitatem consororibus suis tantum tres post annos se coniungere potuit cum suum corpus debilitatum esset et valetudo graviter compromissa.

Sequentibus annis sollicitudinibus valde laboravit, enim initium primi belli mundialis partis domus militarem occupationem effecit, quae in annis summis afflictationibus exstructa erat et duxit etiam timorem ex illo loco

excedendi sine ulla spe alibi se recipiendi. Summa paupertas saeviebat nihilo minus consorores omnes caritatem exercuerunt erga unumquemque et maxime erga pauperiores et multas necessitates mulierum. Eius valetudo iam compromissa evasit, et praesertim iniuriae et contumeliae non defuerunt, quas Serva Dei a quibusdam ecclesiasticis viris accepit. Haec asperrimae fuerunt probationes, quas illa superare valuit tantum propter suam magnam fidem in Deum et firmam spem in divinam Providentiam, quae confugientes ad eam umquam derelinquit.

Quamvis illa adiuncta procellosa ac controversa fuerint Serva Dei semper fuit reverenter oboediens erga Domini ministros et in profunda communione cum Ecclesia sine defectione sui vocationalis propositi. Lassitudine confecta et corpore consumpto ob morbum, quo iam ab annis laborabat, non dum quinquagesimo anno aetatis suae, die 2 mensis Martii anno 1918, a militari cappellano assessa et suis duodecim filiabus circumstantibus, Serva Dei ab hac mortali vita recessit ut ad ultimum aditum cum suo solo *Domino ac Sponso* Iesu converteret.

Fama sanctitatis perdurante a die 9 mensis Martii anno 1997 ad diem 24 mensis Octobris anno 1999 apud Curiam Ecclesiasticam Vicentinam Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 16 mensis Iunii anno 2000 est approbata. Exarata *Positione*, disceptatum est secundum consuetas normas an Serva Dei virtutes heroum in gradum exercuisset. Positivo cum exitu, die 17 mensis Septembris anno 2015, Theologorum Peculiaris Congressus Consultorum habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 4 mensis Aprilis anno 2017, me Angelo Cardinale Amato praesidente, agnoverunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales et adnexas heroicum in gradum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Ioannae Meneghini, Fundatricis Congregationis Sororum Ursulinarum a Sacro Corde Mariae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 4 mensis Maii, a.D. 2017.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

ROMANA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Francisci Xaverii Nguyên Van Thuân Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis (1928-2002)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert» (*Io* 12, 24).

Concidere et mori non est ergo solum via ut fructum quisquam ferat, sed etiam ut eius vita servetur, scilicet ut vivere pergat! Hoc mandatum a Servo Dei Francisco Xaverio Nguyên Van Thuân susceptum iter vitae eius efficaciter significat.

Servus Dei die 17 mensis Aprilis anno 1928 in urbe Huensi in Vietnamia natus est. Originem ducebat martyrum ex familia. Eius Maiores inter annum 1698 et annum 1885 multas persecutiones passi sunt. Proavus paternus ei tradebat quinto decimo anno aetatis suae cotidie pedibus plus quam triginta chilometra percurrisse ut patri suo, in carcere propter eius fidem christianam, oryzae et salis aliquantulum suppeditaret. Eius avia omni vespere rosarii preces pro sacerdotibus persolvebat. Litterarum omnino erat nescia. Eius mater Elisabetha eum christiane instituit.

Iam a pueritia parvulus Servus Dei tres Sanctos ad exemplum sibi elegit, scilicet Sanctam Teresiam Lexoviensem, a qua didicit *viam spiritualis infantiae,* Sanctum Ioannem Mariam Vianney, a quo didicit humilitatem, patientiam et virtutem tenacis intentionis, et denique Sanctum Franciscum Xaverium, Asiae magnum apostolum, a quo didicit animi aequitatem tam in propitiis quam in infelicibus exitibus.

Servus Dei cito vocationem ad sacerdotium percepit, qua re philosophica et theologica studia incepit. Die 11 mensis Iunii anno 1953 sacro ordine auctus est. Romae studia sua perfecit et anno 1959 Iuris Canonici doctor renuntiatus est.

Rediit in Vietnamiam ubi ministerium munere fungens professoris et deinde rectoris Seminarii exercuit. Postea nominatus est vicarius generalis et episcopus Nhatrangensis, atque consecrationem die 24 mensis Iunii anno 1967 suscepit. Sententiam suam episcopalem sibi delegit verbis: *Gaudium et Spes*.

Eius navitas in dioecesi Nhatrangensi fuit actuosa et copiosissimos fructus protulit: etenim alumni Seminarii Maioris, qui olim erant 42, ad 147 octo annis auxerunt, alumni autem Seminarii Minoris, qui erant 200 ad 500 creverunt. Sua in dioecesi primum illi consociationi v.d. *Cursillos de Cristianidad* et deinde *Operi Mariae* favit, sumens spiritualitatem charismatis unitatis istius postremi, excitavit in dioecesi iter renovationis tam singularum personarum quam totius communitatis.

Illo tempore Communismi sectatores in quasdam civitates Vietanamiae meridianae irruerunt ut earundem, inter quas erat etiam civitas Nhatrangensis, potirentur. Opera apostolatus iuvenis episcopi tamen sine limitationibus perrexit.

A Summo Pontifice Paulo VI die 24 mensis Aprilis anno 1975 nominatus est Archiepiscopus Coadiutor Saigonensis, quae archidioecesis insequenti anno mutavit nomen in Hochiminhopolitanam. Memorandum est etiam in Vietnamia Servum Dei praesidem fuisse Commissionis Episcopalis de Communicationibus Socialibus (1967-1970) et praesidem Commissionis ad Incrementum (1971-1975). Romae ei munus consultoris Pontificii Consilii pro Laicis commissum est (1971-1978).

Tamen rerum potitis Communismi sectatoribus, ipse deprehensus est ficto crimine "*conspirationis cum Vaticano et cum imperialisticis nationibus*". Erat illa die 15 mensis Augusti anno 1975 in sollemnitate Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae. Talari induebat veste, cuius in sinu rosarium custodiebat. In carcere tredecim per annos, quorum novem in segregatione, usque ad diem 21 mensis Novembris anno 1988 degit. Conatus est captivitatem suam vivere "*amore implendam*". Iam a mense Octobri quosdam nuntios incepit scribere suae christianae communitati. Quang, qui puer erat septem annorum aetatis, ei furtim comparabat chartas et postea nuntios reducebat domum ubi eius fratres et sorores sua manu transcribebant eos, ut inter fideles diffunderentur. Sic ortus est liber cuius titulus est: *Iter spei.* Simili modo et anno 1980 evenit cum in relegatione in pago *Giangxà*, septentrionali in Vietnamia, nocte et secreto scripsit secundum librum cuius titulus est: *Iter spei secundum Dei Verbum et secundum Concilium Vaticanum II*; iis secutus est et tertius liber sub titulo *Peregrini spei itineris*.

In vinculis relatus est in territorium suae primae dioecesis Nhatrangensis. Carceres haud procul erant ab episcopio et haec ei terribilis fuit experientia. Passus est extrema tempora cum navali itinere una cum mille

et quingentis captivis esurientibus et desperatis traductus est. Deinde cum in campo pro captivis rursus educandis loci *Vinh-Quang* in montibus una cum aliis ducentis quinquaginta captivis relegatus est.

Secuta est longa segregatio. In carcere Bibliam secum ferre ac detinere prohibitus est. Qua re chartacea fragmenta collegit quibus confecit quasi libellum in quo plus quam trecentae sententiae Evangelii referebantur. Hoc Evangelium fuit eius cotidianum libellum, a quo vim hauriebat. Eucharistiae celebratio autem fuit culmen uniuscuiusque diei. Missam celebrabat super manus palma, adhibens vini tres guttas, aquae autem singulam. In carcere quasdam parvulas communitates christianas constituere potuit, quae congregabantur ut simul orarent et ut Eucharistiam celebrarent. Nocte cum fieri poterat vigilias pro eucharistica adoratione apparabat.

Eius habitus levitatis, patientiae et amoris erga proximum adeo commovebat custodes ut principes ab eo peterent ut milites sermones, quos diffuse loquebatur, edoceret. Sic custodes facti sunt eius discipuli. Postea ipse dixit quod tempore captivitatis omnia regebantur ab amore in Iesum crucifixum ac derelictum.

In montibus loci *Vinh Phù* in carcere *Vinh Quang* a custode petivit ut sibi liceret frustulum ligneum crucis ad instar secare. Alio in carcere a custode petivit ut filum metallicum sibi ministraret, ille tamen exterritus est, pavens ne se occideret, ei tamen ostendit suum desiderium conficiendi catellam ad suam crucem sustinendam. Tres post dies custos ei necessaria suppeditavit. Abhinc illa crux et illa catella eum semper comitatae sunt.

Summus Pontifex Benedictus XVI sollemniter obsequium Servo Dei contulit suas per litteras encyclicas *Spe salvi*, quibus eum indicavit ut exemplum in oratione maxime cum summa in desperatione versari videbatur, adeo ut nulla explicatio praesentiatur. Haec fuit Servi Dei condicio in diuturnissimis captivitatis annis, in quibus tamen « auscultatio Dei et colloquium cum eo evenit vis augescens spei, quae post liberationem fecit ut omnibus hominibus mundi esset testimonium spei, illius magnae spei, quae etiam solitudinis in noctibus umquam defuerat » (*Spe salvi*, n. 32).

Fidei, spei et caritatis Servi Dei testimonium, quod cotidie humilitate ac modestia effundetur, calcar est ad omnium sanctitatem, quae in Dei fidelitate ac in mutuo auxilio in itinere spirituali suam praecipuam significationem invenit.

Die 21 mensis Novembris anno 1988 liberatus est, in festo Praesentationis Mariae in templo. Libertate adepta, socius Commissionis Catholicae Internationalis pro Migrationibus nominatus est et postea praesidis vicarius Pontificii Consilii de Iustitia et Pace. Die 24 mensis Iunii anno 1998 factus est praeses eiusdem Pontificii Consilii. Munus suum studio ac prudentia explevit. Servus Dei, singulari ingenio praeditus, expedito sermone tam in orando quam in scribendo exornabatur, quamquam stricto sensu vir litteratus vel scriptor non esset. Eius vocatio fuit pastoris animarum, qui omnes suas vires pro bono Ecclesiae, pacis et iustitiae profudit. Exercitia spiritualia Sancto Ioanni Paulo II et Romanae Curiae anno 2000, magno suo honore, contionatus est, auditorio illi suam gravem experientiam, quam in carcere vixerat, communicavit. Ab ipso Summo Pontifice Ioanne Paulo II in consistorio diei 21 mensis Februarii anno 2001 Cardinalis titulo diaconali Sanctae Mariae de Scala creatus est. Idem Pontifex a Servo Dei expetivit ut *Compendium Socialis Doctrinae Ecclesiae* appararet: Cardinalis Van Thuân Commissionem ad studia sibi commissa constituit, congregationibus assidue ipse interfuit, easdem excitavit confirmavitque. Sua lenitate ac sapientia operam dedit ut morae et asperitates in itinere studiorum superarentur, quae vero magis quam praevisum erat, dilatae sunt. Tamen, quamvis textus fere expletus esset, ante suam mortem desideratissimum *Compendium* editum conspicere nequit. Aequo animo, post longum morbum, die 16 mensis Septembris anno 2002, magna ac stabili fama sanctitatis circumfusus, e vita excessit.

Die 22 mensis Octobris anno 2010 Causa beatificationis et canonizationis apud Apostolicum Lateranense Palatium aperta est. Die 5 mensis Iulii anno 2013 Inquisitio dioecesana clausa est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 22 mensis Novembris anno 2013 est approbata. Exarata *Positione*, disceptatum est, consuetas secundum normas, an Servus Dei virtutes heroum in modum exercuisset. Die 13 mensis Decembris anno 2016, positivo cum exitu, Peculiaris Congressus Theologorum habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione die 2 mensis Maii anno 2017 congregati, me Angelo Cardinale Amato praesidente, Servum Dei heroicum in gradum virtutes theologales, cardinales et adnexas exercuisse agnoverunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota

Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Francisci Xaverii Nguyên Van Thuân, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 4 mensis Maii a.D. 2017.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CORDUBENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Catharinae a Maria (in saeculo: Iosephae Saturninae Rodríguez), Fundatricis Congregationis Sororum Servarum SS.mi Cordis Iesu (1823-1896)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Catharina a Maria (in saeculo: Iosepha Saturnina Rodríguez), Fundatrix Congregationis Sororum Servarum SS.mi Cordis Iesu, Cordubae in Argentina die 27 mensis Novembris anno 1823 nata est perinsigni ex familia, quae politicis rebus interfuerat et in urbe pastorali animationi se tradiderat. Iuvenilibus in annis etiam ob suam participationem spiritualium exercitiorum cursus, vocationem ad consecratam vitam percepit, sed illis in locis contemplativae vitae monasteria tantum erant, ipsa autem vehementem orationis experientiam cum navitate erga proximos coniungere voluit. Hac rerum in ambage, adnuit condicioni uxoriae columnelli Emmanuelis Antonii de Zavalía, vidui duobus cum filiis, quibus ipsa verae matris spiritu et magna generositate consuluit. Anno 1865 Iosepha, cum ipsa virum amisisset, vocationale propositum suum, victis aliis difficultatibus, persequi potuit et anno 1872 fundavit communitatem Sororum Servarum SS.mi Cordis Iesu, secundum spiritualitatem Societatis Iesu, quae autem ad apostolicam animationem per spiritualia exercitia se contulerunt, cum singulari sollicitudine erga mulierum provectionem. Institutum in nonnullis Argentinae locis cito diffusum est. Catharina die 5 mensis Aprilis anno 1896 suo natali in oppido mortua est. Summus Pontifex Ioannes Paulus II Venerabilis Servae Dei heroicas virtutes anno 1997 agnovit.

Beatificationis respectu Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum miram quandam cuiusdam mulieris sanationem subiecit, quae in pago Sancti Michaëlis Tucumaniae in Argentina anno 1997 evenerat. Mulier iam diu cardiopathia laboraverat cum die 22 mensis Aprilis illius anni ob subitaneam motus cordis intermissionem animo relicta est. Statim apud loci valetudinarium traducta, cum ibique post ciriciter semihoram ab incepto phaenomeno pervenisset, clinicae mortis diagnosis edita est. Quaedam vitae signa nihilominus videbantur cum technicae ad vitam revocandam adhibitae essent, hac re aegrota ad valetudinarii partem pro curationibus gravioribus in tertio gradu somni comatici recepta est.

His in adiunctis, mulieris filia, quae valde devota erat Venerabilis Servae Dei, iam in primordiis istius casus suam invocationem ad Venerabilem intenderat ut “illud mirum” impetraret, “quod ei opus erat ut Beata agnosceretur”. Coniux quoque aegrotae in oratione convenit una cum aliis devotis personis. Quandam reliquiam ex indumentis infirmae cordi contulerunt, quae deinde eiusdem sub cervicali reposita est. Subsequentis diei extremo matutino tempore, aegrota eo in meliore valetudine videbatur ut post vix viginti et quattuor horas tubis ad artificiosam respirationem inducendam privaretur. Sequentibus in diebus conspicua fuerunt valetudinis incrementa et die 5 mensis Maii mulier ex valetudinario demissa domum rediit.

Evidens est concursus temporis et consequentia inter Venerabilis Servae Dei invocationem et mulieris sanationem, quae deinceps, naturali socialique vita pollens, sana fuit.

De hac sanatione, mira aestimata, prope Curiam ecclesiasticam Tucumanensem a die 16 mensis Augustii anno 2012 ad diem 26 mensis Novembris eiusdem anni Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 25 mensis Octobris anno 2013 est approbata. Medicorum Consilium huius Dicasterii in sessione die 7 mensis Iulii anno 2016 declaravit sanationem celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse. Die 19 mensis Ianuarii anno 2017 Congressus actus est Peculiaris Theologorum Consultorum, positivo cum exitu. Die 25 mensis Aprilis anno 2017 Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt, me Cardinale Angelo Amato praesidente. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servae Dei Catharinae a Maria* (*in saeculo: Iosephae Saturninae Rodríguez*), *Fundatricis Congregationis Sororum Servarum SS.mi Cordis Iesu, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam mulieris a “cardiopatia dilatativa, complicata da arresto cardio-respiratorio protratto extraospedaliero* (*>30 minuti*) *in assenza di rianimazione cardio-respiratoria; encefalopatia post-anossica grave”.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 4 mensis Maii, a.D. 2017.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

SANCTI MARCI ARGENTANENSIS-SCALEENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Augustini Ernesti Castrillo ex Ordine Fratrum Minorum, Episcopi Sancti Marci Argentanensis-Bisinianensis (1904-1955)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Summum igitur studium nostrum sit in vita Iesu Christi meditari» (*De Imitatione Christi* 1, 1).

Fratris minoris, sacerdotis et episcopi clarissima fuit figura; Servus Dei Augustinus Ernestus Castrillo toto corde ad perfectam Christi imitationem attendit ut evangelicas species susciperet et pastor secundum cor Iesu feliciter evaderet. Tantamdem enim imitationem Divini Magistri monstravit ac proposuit omnibus, qui suis curis commendati fuerant, scilicet confratribus religiosa in vita, fidelibus sacerdotali in ministerio suaeque communitati episcopali in munere.

Servus Dei die 18 mensis Februarii anno 1904 Petrae Vairani prope Casertam, in finibus dioecesis Theanensis-Calvensis, e parentibus catholica firmissima fide, secundus undecim filiorum, natus est. Die 20 sequentis mensis Februarii nomine Ernesti Aloisii sacro fonte lustratus est et die 23 mensis Aprilis anno 1908 sacram Confirmationem accepit.

Cum adhuc puer Seminarium Fratrum Minorum Saepini prope Campum Bassum ingrederetur, die 17 mensis Septembris anno 1919 franciscanam vestem, fratris Augustini nomine, induit.

Novitiatu expleto in coenobio Sanctissimae Annuntiatae Ameriae apud Interamnam votorum temporariam professionem, die 18 mensis Septembris anno 1920, emisit. Sollemnem post professionem, die 11 mensis Iunii anno 1927, sacro ordine Asculi Apuliae apud Fodiam auctus est.

Iam a pueritia vitam suam gravi pietate exornatam ostendit, quae eucharisticum ad mysterium, Christi passionis in meditatione Deique Matris in devotione omnino vergebat. In fratris minoris vocatione optime se agnoscebat et, cum Sancti Francisci maxime devotus esset, pater Augustinus in se vitam interiorem, religiosam professionem et pastoralem actionem feliciter conciliavit. Oblatio sui et promptitudo ad sacrificium ex diuturnissima Crucis mysterii meditatione maturata ei consentaneae fuerunt.

Primum magister et postea secretarius provincialis, anno 1936, Fodiae ecclesiae Iesu et Mariae parochus nominatus est. Hic decem per annos

claram ac imperituram famam virtutis reliquit. Verus fidei fuit magister tam in praedicando quam in confessionibus audiendis et in fidelium spirituali moderatione, quibus rationibus animas ad Dei voluntatis inquisitionem excitabat.

Deditione, patientia et spirituali prudentia operam suam suos inter fideles exegit. Artissimus pauperibus ac dolentibus omnibus in speciebus evadit. Aegrotos maxime dilexit eisque summam partem sui temporis dicabat. Sua misericordiae opera *boni Samaritani*, quae vulnera corporis et spiritus lenit, multas conversiones et multos reditus ad pia exercitia ipse consecutus est.

Cum, flagrante bello anno 1943, urbs Fodia pyrobolis percuteretur ac vastaretur, ipse Servus Dei haud dubitavit vitam suam summis periculis offerre ut munus aegrum inter populum sibi commissum exerceret. Mandavit ut ecclesia Iesu et Mariae die ac noctu omnibus panderetur, qui sine domu et summa in necessitate vagarent, ad eos reficiendos et hospitio excipiendos. Familiaritate et reverentia accipiebat pauperes ab eodem petentes cibum vel opus. Etiam cum postulationes explere nequebant, eos tamen non derelinquebat. Eorum domus caliginosas ac male olentes frequentabat ut eos confirmaret et iisdem consilium daret, eos ipse assectatus est cum ad Status officia vel ad tribunalia se conferebant, ut eius benevola relatione suo praesidio eorum legitima iura sustentaret.

Servus Dei virtute eminuit in gubernio tam, ab anno 1940, Administri munere Provinciae Fratrum Minorum Sancti Michaelis Archangeli Apuliae et regionis Molisinae quam Commissarii et deinde, ab anno 1948, Administri Provinciae Fratrum Minorum Salernitanae et Lucaniae.

Hoc in munere in illas vires, quae fraternitatis spiritum dissipabant, valuit obverti. Vir unitatis fautor omnia exegit observando homines et cum sancto Dei timore, moderationem, patientiam et sapientem prudentiam ostendens. Eius apostolica actio fulta erat a suadenti ac amabili fide, quae longinquos attrahebat et proximos confirmabat. Eius ministerium ad effectum feliciter perducebatur ab eius vita intensae ac constantis orationis et silentio, meditatione et adoratione referta.

Ob eius eximiam vitam et prudentiam in serenitate confratribus restituenda, Summus Pontifex Pius XII eum, die 17 mensis Septembris anno 1953, episcopum Sancti Marci Argentanensis et Bisinianensem nominavit. Die 13 sequentis mensis Decembris Fodiae prope suam antiquam ecclesiam parocialem Iesu et Mariae consecratus est.

Die 3 mensis Ianuarii anno 1954 in dioecesim suam ingressus est et statim oppida pagosque, qui suae pastorali curae demandati erant, visitavit. Episcopali munere exercendo ipse *"Gravis dum suavis"* operam suam gessit, promptus ad suaviter corrigendum ut omnes ad bonum exhortaretur. Honores contempsit, bona mundi neglexit, Servus Dei in paupertate vitam degit, franciscana humilitate et simplicitate plenus, quae eum semper insignivere.

Brevi tempore tamen, eius valetudo debilitata est, enim acres dolores apparuerunt, qui se esse carcinomatis gravitate provecti osseas ac pulmoneas metastases prodiderunt. Sanctitatis inquisitio et adhaesio dolori eius vitae illis in adiunctis maiores se rediderunt. «Non datur Iesum sequi nisi Crucem umeris sustinendo... qualemcumque donare is placuerit, usque ad montis Calvariae culmen, Tabor montem expectando», dictitare diligebat. Immobilitate astrictus ac doloribus cruciatus decem adhuc per menses vixit, fide sua, vi interiore et immolationis spiritu omnes ad virtutem pietatemque excitando.

Die 16 mensis Octobris anno 1955, quinquagesimo primo anno aetatis suae, coronas rosarii in manibus adstringens, mortali e vita excessit.

Eius corpus triduo in ecclesia cathedrali ostensum, fidelium a multitudine visitatum est, qui saltem particulam eius sagi, cinguli et etiam capillorum ad instar reliquiae diripere conabantur. Exequiis istius boni et dilecti pastoris omnes episcopi Calabriae adsederunt. Corpus eius in crypta ecclesiae cathedralis Sancti Marci Argentanensis conditum est sepulcrumque eius venerationis ac orationis causa cito a multis visitabatur.

Beatificationis causa Inquisitio dioecesana iuxta Curiam ecclesiasticam Sancti Marci Argentanensis-Scaleensis ab anno 1985 ad annum 1999 celebrata est et ab anno 1986 ad annum 1995 apud Curiam ecclesiasticam Fodianam Processus Rogatorialis celebratus. Quorum omnium iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 15 mensis Februarii anno 2002 approbata est. Exarata *Positione*, disceptatum est consuetas secundum normas an Servus Dei virtutes heroum in modum exercuisset. Positivo cum exitu, die 27 mensis Octobris anno 2015 Congressus Theologorum Consultorum celebratus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 6 mensis Iunii anno 2017 congregati, me Angelo Cardinale Amato praesidente, Servum Dei heroicum in gradum virtutes theologales, cardinales et adnexas exercuisse agnoverunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Augustini Ernesti Castrillo, ex Ordine Fratrum Minorum, Episcopi Sancti Marci Argentanensis-Bisinianensis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 16 mensis Iunii a.D. 2017.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CRACOVIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Hannae Chrzanowska, Christifidelis Laicae (1902-1973)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Hanna Chrzanowska die 7 mensis Octobris anno 1902 Varsaviae nata est. Anno 1910 familia eius Cracoviam commigravit, ibique Hanna sua superiora ad studia attendit et maturitatis examen feliciter sustinuit. Ut scholam pro infirmorum ministris frequentaret, Varsaviam rediit, tirocinium autem in Gallia peregit. Postquam in Poloniam revertisset, operam dare uti docens Publicae Salutis incepit, erat olim etiam instructrix Assistentiae Socialis pro Matribus et Filiis. Anno 1937 Polonicarum Catholicarum Infirmorum Ministrarum Consociationem fundavit. Secundo bello mundano exardescente, ipsa in Comitatu Polonico pro Assistentia operam dedit; magnis doloribus perfuncta est, cum pater eius deprehensus et postea in publicae custodiae loco mortuus esset necnon cum et frater eius iuxta locum v. d. *Katyń* interfectus esset. Perdurante nazistarum occupatione, se tradidit in operibus pro multis profugis et pueris, quibus constituit mensas, ludos, orphanotrophia, colonias et multorum puerorum derelictorum adoptionem curavit. Post bellum, quamquam administratio communismi regiminis ei obstitit, Hanna assistentiae sollertiam perrexit et in consuetudinem venit cum sacerdote Carolo Wojtyła, qui futurus erat Pontifex necnon Sanctus. Antesignana et fere singularis suo in genere fuit opera eius, a qua saepissime exemplar ad constituendas similes institutiones in amplioribus civitatibus sumptum est. Praeter munus sui officii, Hanna curabat ut aegrotorum ministris etiam ethica et spiritualis institutio suppeditaretur. Tumore correpta, qui corpus eius perdidit, die 29 mensis Aprilis anno 1973 mortali e vita excessit.

Beatificationis respectu Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum subiecit miram quandam mulieris sanationem, quae Cracoviae anno 2001 evenerat. Ab anno 1965 mulier, tunc tricesimo vix anno aetatis suae, incepit multas molestias in corpore animadvertere scilicet depressionem, hypertensionem sanguinis arteriosi, hemicranias, vomitiones et denique amissionem conscientiae. Haec omnia in annorum decursu, magis

magisque eo se auxerunt ut valetudinem eius corrumperent, usque ad annum 2000, cum angioma dextera cerebri in parte repertum est. Sequenti anno mulier paralysi in artubus correpta est, tam in superiore quam in inferiore artu ob apoplexiam. Cracoviae in clinica neurologiae recepta est, ibique curationibus subiecta et constanti observatione inspecta, tamen chirurgice mederi non licuit ob nimium discrimen. Paulo post eius valetudo in peius mutavit adeo ut exitialis exitus timeretur.

Dum haec gravissimae res accidebant, aegrota, quae Servam Dei cognoverat in cursu doctrinae ad infirmorum ministris instituendis, ei suam invocationem intendit, quamquam quibusdam ab annis religiosam reliquerat pietatem. Aliae amicae et quaedam familiaritate proximae una cum ea in oratione convenerunt maximeque illa Infirmorum Catholicarum Ministrarum Consociatio, a Venerabili Serva Dei fundata. Choralis illa invocatio Summo a caelicolarum Rectore benigne exaudita est. Die 5 mensis Maii anno 2001 mulier amicae concredidit se Domino Iesu reconciliavisse claraque signa inexplicabilis mutationis in melius valetudinis suae ostendit, quae sequenti mense eo progressa est ut die 3 mensis Iulii mulier in bona valetudine domum remitteretur. Subsequentes medicae investigationes nullos naevos comperuerunt et perfectam eius sanationem confirmaverunt.

Evidens est concursus temporis et consequentia inter Venerabilis Servae Dei invocationem et mulieris sanationem, quae deinceps naturali socialique vita pollens, sana fuit.

De hac sanatione, mira existimata, apud Curiam ecclesiasticam Cracoviensem a die 18 mensis Octobris anni 2002 ad diem 3 mensis Aprilis anni 2003 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 21 mensis Maii anno 2010 est approbata. Medicorum Consilium huius Dicasterii in Sessione diei 24 mensis Novembris anno 2016 declaravit sanationem celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse. Die 21 mensis Februarii anno 2017 Congressus actus est Peculiaris Theologorum Consultorum, positivo cum exitu. Die 7 mensis Iulii anno 2017 Ordinaria in Sessione Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt, me Cardinale Angelo Amato praesidente.

Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servae Dei Hannae Chrzanowska, Christifidelis Laicae, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam mulieris a "emorragia cerebrale secondaria a rottura di malformazione arterovenosa (MAV) temporale destra, successiva ischemia miocardica acuta e cistopielite".*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 7 mensis Iulii a.D. 2017.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

VICARIATUS APOSTOLICI IZABALENSIS

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servorum Dei Tullii Maruzzo (in saeculo: Marcelli), Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum, et Aloisii Obdulii Arroyo Navarro, Christifidelis Laici ex tertio Ordine Sancti Francisci († 1981)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Post haec autem designavit Dominus alios septuaginta duos et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: "[...] Ite; ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. [...] In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: "Pax huic domui". [...] "Appropinquavit in vos regnum Dei"» (*Lc* 10, 1-9).

Servi Dei Tullius Maruzzo, Sacerdos professus Ordinis Fratrum Minorum, et eius fidelis socius Aloisius Obdulius Arroyo Navarro, catechista et sodalis Tertii Ordinis Sancti Francisci, divini Magistri monitum excipiendo Regno Dei opera sua generose famulati sunt, Verbum diffundendo caritatisque testimonium perhibendo. Veri fuerunt Evangelii discipuli, minas non metuentes illorum, qui iisdem silentium imperaverant ne verba veritatis et iustitiae proferrent, cum proposito reprimendi eorum operam pro pauperibus et oppressis.

